
VINCENTII AGRIPPAE COSENTINI HYMNORVM LIBER. AD Christum Omnipotentem.



Florentiæ. M D XLIX.
Cum Priuilegio.



Ad Christum Omnipotentem.

Quãdoquidẽ segnes quod non consũpsimus annos,
Venturæ ætati prodere Musa iubet.
Abs te principium faciet mea Pieris, in te
Desinet, o hominum cælicolumq; parens.
Ergo tu mentem, calamos & dirige nostros,
Ut scribam excelso carmina digna Polo.
Da deinde auxilium nostræ succurere legi,
Atque aperi umbras Sole micante uias.
Ut iuuenum duros possim mollire labores,
Auxiliisque leuem pectora multa meis.

VINCENTII AGRIPPAE COSENTINI HYMNORVM LIBER PRIMVS.

DE DEO ET DIVA MARIA

ECCE dies Musæ magno cum carmina Regi
Cælicolum, et matri sobolē sub paupere tecto
Enixæ unigenam patris omnipotentis Olympi
Sæpe fuit mihi mens meditari. Vos mihi tutum
Nunc ferte optanti auxilium, cantusque mouete.
Imprimis hominū Rex ille, & maximus author
Astrorum, superos orbes, terramque fretumque
Ex nihilo effinxit, gentem simul ætheris alti
Aligeras acies, ut se fruerentur, & ipsum
Atque suas canerent uires, & maxima facta.
Quiq. suum agnorunt regem dominumq. deumq.
Rege suo nunc, & cæli regione fruuntur.
Inde autem horribili deiecit fulmine diras
Tartara ad ima acies, qui bella infanda mouebant
Artifici rerum. Iacet æternumque iacebit
Noctifer infelix orci sub nocte profunda,
Nec quicquam prodest, quod semen ducit olympo.
Ignea uis illum, magni uis frigoris illum
Perpetuo excruciant Erebo, immanesq. dracones.

Idem opifex hominem contempto puluere finxit,
Illius & causa solemque & sidera phæbemque
Et maria & latas terras cælumque profundum.
Quippe uelut mulier partum missura sub auras,
Omnia quæ partu iam sunt adhibenda futuro
Comparat, ut partum posit sub luce tueri.
Sic pater omnipotens uenturum in luminis oras
Condere constituens hominẽ, prius omnia finxit
Quæ facerent lætos hominis mentemq. animumq.
Quẽ postquã effecit faciemq. & membra decorũ,
Atque deo similem, dignumque habitare penates
AEthereos, inter superos, animasque uerendas;
Continuo in campos felices transtulit, illi
Parére & iussit cretum genus omne animantũ,
Et pecora in latis terrarum errantia campis,
Squamigerasque feras pelagi, pictasque uolucres,
Et late dominum terræ nemorumque sacrorum
Constituit, fœtu unius tantum arboris illum
Illius & morsu tantum deterruit uno,
Qui si mansisset dictis iussisque uerendis,
Nunquam pallida mors hominẽ soluisset & artus.
Sed post mille annos ardens ad sydera uirtus
Vexisset, pulchra cælique in parte locasset.
Ipse autem infelix male suadi fraude draconis
Infregit summi monitus & iussa parentis.
Propterea irarum uoluens sub pectore fluctus

Omnipotens, hominem felicibus expulit aruis,
Multauitque reum uario duroque labore,
Et morte horribili, & tenebris damnauit auernis;
Affecitque iisdem pœnis genus omne futurum.
Damnorum sed post nostrorum multa misertus
Sæcula, progeniem cæli demisit ab arce,
Qui gentem infirmam faciendo mira, docendo
Et iustum atque æquum superas reuocaret ad oras.
Atque illam æternæ donaret munere uitæ
Et mortem daret horribilem contemnere, et omnes
Erumnas, quibus urgemur sub tegmine cæli.
Ille igitur patris iussu delapsus olympo,
Induere & uoluit uultus mortaliaque ora
Et mille erumnas ac mille subire labores,
Vulneraque mortemque pati, figique cupresso,
Infecta ut lueret mortalis crimina gentis
Sanguine, & horrificis illam seruaret ab umbris
Præterea postquam postes patefecit olympi,
Egregium numen procedens numine utroque
Demisit, dulces ut solaretur amicos.
Ignipotens igitur descedens numen ab astris,
Bissenos proceres cælesti robore, linguisque
Igniferis donat momento, hominumque loquelas
Cunctorum docuit, decies ut ab æquore uecta est
Quinta dies, a luce illa qua maximus ultor
Afflictorum hominum regnis remeauit ab imis.

Omnipotens numen doni septemplicis author,
Ignis,amor,uirtus,supremi infusor amoris,
Et mentes hominum diuinis ignibus afflat,
Illustratque animos cæcos,solatur & ægros:
Sic & tartareas acies contundit, & hostes
Mutati ut faciem confusa & mente recedant.
Nunc uero egregiã Nymphã laudesq.canamus.
Omnipotens cuius felicem spiritus aluum
Optata impleuit cælestis prole parentis.
Diuina Ammeriæ cæli regina sereni
Progeniem patris postquam mortalibus ægris
AEdidit æterni,gentes sibi gaudia cæli
Et diuum,erexit pulchros acquirere honores.
Sic & progeniem diuina & numina placat,
Vt per progeniem rapidis seruentur ab undis;
Munditiem immundis,defectis auribus aures,
Linguam infelicem deuinctis dona loquendi,
AEgrotis primas uires,& robora donat.
Quicunque ad diuam se fert,& numina poscit;
Nec lento remeat passu nec pectore tristi:
Fundite dulcisonos cantus, & carmina diuæ
Mortales,diuam uestris exposcite uotis.
Hac solemne die quondam sibi sanguine iuncta
Limen adit matris,seniorem & uoce salutat;
Vnde beata dies inuentum nomen adepta est.
Tum puero assurgit puer intra uiscera matris

Aeterno patri aequaeuo. quod tu pia sentis
Helisabe nullum uentris perpessa dolorem.
Ammeriae precibus Caelo qui praesidet aureo
Concedat nobis animum mentemque benignam;
Et nos prudentes faciat, Iustosque modestosque
Et fortes contra furias infernaque monstra,
Detque uoluptates fluxarum temnere rerum
Quae nequeant nostros sensus & corda mouere,
Iustificas animas amplecti, & uera profari;
Et castos faciat iuuenes, castasque puellas,
Matres atque uiros concordi in pace reponat:
Illustret nostras diuino lumine mentes:
Pectoribus firmet monstratam relligionem;
Ut rerum domino puri famulemur, ut illi
Et grati simus, qui terras atque per undas
Defendat, placidasque Poli conscendere sedes
Annuat, atque suos uultus spectare serenos.

Ad Patrem Omnipotentem.

OMnipotẽs Genitor qui facta hominumque deumque
Et regis atque uides, cunctos qui diligis, in te
Qui spem constituunt, & firmo pectore credunt
Te miseraturum sua facta indigna dolentes,
Erroresque graues, constanti pectore credo

Te miseraturum prorsus mea damna, meosque
Errores, sanaturum plagasque cruentas,
Omnia te posse, ac terras cælumque, fretumque
Finxisse ex nihilo. Christum quoque pectore firmo
Credo abs te genitum, atque oris regnare supernis,
Quem solum nobis Regem dominumque dedisti,
Meque meumque caput proprio lauisse cruore,
Et seruasse animam fateor crudelibus umbris,
Quem Deus ignipotens insignem ut uirginis aluū
Felici impleuit partu, partuque potenti,
Humano generi uirgo sata sanguine Regum
Candore incolumi peperit sub paupere tecto,
Qui graue supplicium, præses dum Pontius esset,
Pertulit ad Solymas, confixus brachia duro
Atque pedes ligno, post mortem & uulnera sæua,
Marmore donatus niueo, tumuloque recenti est.
Nec renuit quicquā nigras descēdere ad umbras,
Solueret ut patres uinclis, & carcere iniquo.
Atque ubi se Oceano profert lux tertia, et Orbem
Aurora illustrat radijs, & nubila differt,
Deseruit manes, superasque rediuit in oras,
Corpore suscepto, primosque indutus amictus.
At postquam liquidis decies se sustulit undis
Quinta dies, a luce illa qua luce coruscus
Diuina, & uictor regnis remeauit ab imis.
Lectorum innumera diuum comitante caterua,

Aethereumque aurum superas ascendit & arces
Vt sese ad dextram patris pro sede locaret,
Vnde iterum partes uolucer descendet ad imas,
Iura det ut uiuis, uitali & lumine functis,
Credo etiam sanctũ numen quod numine utroq.
Procedens, animos cælesti accendit amore,
Quod mihi firmabit mentem, uiresque fugandi
Concedet toruas furias, infernaque monstra,
Confiteor toto sensu, totisque medullis,
Quicquid apostolici monitus, & sacra papyrus
Ostendunt, quicquid lecti docuere magistri:
Et conuenturos sanctos heroas in unum,
Atque ascensuros supremi culmina cæli,
Aeternum & patris fruituros numine diuum,
Intrepidus teneo, populum quod crimine ab omni
Absolues, dum pœniteat se regem in Olympi
Admisisse nefas, ueniamque exoret ab ipso,
Qui facilis ueniam donat peccata fatenti
Et pelagi cunctos homines uult eripi ab undis.
Indubitatum habeo quod luce carentia cuncta
Corpora consurgent in dias luminis auras,
Informata animis primis & luce priori,
Vnigenæ ut sobolis statuant sese ante tribunal.
Nec mihi uana fides, quod postquam Iupiter æquus
Iura dabit, quodcunque ibunt ad templa deorum
Gaudium ubi eternũ & semper mansura uoluptas.

Et uitam ducent felicem & fine carentem,
Perpetuam uero mortem patientur & ignes,
Quotcunq. ob scelera infernas trudẽtur in umbras,
Luctus ubi aßidue sæuus, sæuique ululatus,
Quos pater omnipotẽs concedas temnere, et omnis
Præcepti esse tui memores, legumque tuarum.

Ad Christum Omnipotentem.

Magne hominum genitor, nitidi possessor Olympi,
Quem facile impertis recto qui tramite pergunt
Qui facilis ueniam donas peccata fatenti
Auxilioque iuuas dictisque actisque dolentes:
Num tua si infandis offendi numina factis,
Propterea ut primũ non es mihi numen & autor?
Si mihi crudelem fœdaui crimine dextram,
Haud per me arescit pietatis mellifluus fons,
Qui doleo admisisse nefas, & numina magna
Offendisse Dei, uitæ quem pœnitet actæ.
Ipse licet fuerim nostrorum causa malorum
Et merear fulmen, tamẽ haud tibi semita clausa est.
Seruandi errantem, nec desunt pharmaca, mille
Mille medendi artes tibi sunt, & nomina, mille
Nunquã ego me amisisse poli regna alta negabo,
AEternosque mereri ignes, noctemque profundã

Sed tua criminibus maior clementia nostris,
Exuperent numero licet illa et robora, frondesque,
Oceanique undas, actæque arentis arenas.
Ergo parens hominũ quia nec tibi uirib. impar,
Clementique animo insolitum, nec dedecet unquam
Iustitiã immensam (quid enim tua nomina mõstrãt
Seruator, custosque hominum, uindexque tuorum)
Da ueniam fasso, noxasque ignosce fatenti,
Quem sperare iubes supremi gaudia cæli,
Iungere & agminibus spondes, numeroque deorũ,
Abiectum tanto puerum dignatus amore es.

Ad Spiritum sanctum domini.

HVmani generis custos, rerumque creator,
Qui donas homini uitæ immortalis honorẽ,
Temperiemque illi sæuo qui fluctuat æstu
Peccandi, cuius suauis refrigerat aura
Comburi agnoscis rapido quos igne medullas,
Qui mentes hominum firmas, & dirigis actus,
Et nostra accendis cælesti pectora amore,
Qui septena tuis concedis munera alumnis,
Ac libertatis nostræ ut promiserat autor,
Bissena ora sonis imples resonantia miris,
Orantes ueniam tua numina magna precamur,
Huc ades, & nostras illustra lumine mentes,

Vt te iustitiamque tuam super omnia amemus,
Constantesque oculis uideas in amore superno,
Huc ades;atque animos imple cælestibus auris,
Incendas hominum cælesti ut pectora amore,
Mitte auram, suffragantem aurã, aurãq. potentẽ,
Diuini ut fructus in nostro corde creentur,
Et terræ facies ornetur flore recenti,
Ignipotens numen,cunctorum Rex geniorum,
Qui potes æthereos terreno in pectore amores
Gignere,& humanas longe dispellere curas,
Ab te sancte peto, gignas in pectore nostro,
Laudatamque uoluntatem,mẽtemque benignam,
Aethereo per te patri,natoque potenti,
Atque tibi per te credamus pectore firmo,
Quem cunctæ æternũ gentes uenerentur & ornẽt
Laudibus omnigenis, & multo carmine cantent
Hostilesque procul pellas aciesque manusque
Vt duce te inferni uitare pericula fluctus
Poßimus,tandem tranquilla & pace fruamur.

Ad Diuam Mariam

O Decus egregium cæli,pulcherrima uirgo,
Antiquũ genus heroũ sata sanguine regũ
Quæ miseros ad te uenientes accipis omnes
Lætifico uultu,magnoque extollis honore.

Vt puer ad matrem properat cum flagitat usus
Seu quoniam immineat capiti letale periclum,
Seu uana sit concussus formidine mentem,
Sic pueri quibus in terris non ulla parentum est
Lætitia, & nullum a consanguinitate propinquis
Auxilium, nullumque ab eis qui nomine amici,
Ad te confugiunt, tuaque orant numina, pellas
Hostiles a se facies, uultusque malignos.
Confugit ad gremium matris ceu turba minorum
Pullorum, quoties inimicum euadere rostrum
Accelerat, dubiamque parat seruare salutem,
Turba puellarum sic te uiduata maritis
Aduolat, ac supplex orat defendere ab hoste
Digneris, sæuumque inimicum expellere tectis,
Virginei cætus casta te uoce pudoris
Reginam appellant, uiresque & robora poscunt
Virgineum ut possint per te seruare pudorem.
Diuitiarum inopes, angusto in limine uexat
Quos sitis atque fames, te demulcente laborem,
Haud animis ægris casus solantur amaros.
Promittuntque sibi melioris tempora uitæ.
Afflictus fatis, uariisque laboribus actus,
Cui nihil in terris reliquum, spesq. omnis adẽpta est
Humani auxilij, si se se conferat ad te,
Ingentem gemitum, & lacrymas solaris inanes.
Hortarisque dies hominem sperare serenos.

Carcere conclusus cæco, ferroque ligatus,
In te spem certam ponit: cæcasque tenebras
Effugere et ferrum sperat, tibi soluere uota
Promittit, spondetque tuis suspendere templis.
Qui pelagi sulcant undas, te in gurgite uasto
Aequoris undisoni celebrant, certamque salutem
Appellant, precibusque implorant, æquora quādo
Et ualidas quassant naues & fata minantur.
Qui procul a patria peregrinis errat in oris,
Defectus propriisque bonis, carisque propinquis,
Et sperat remeare domum, dulcesque penates
In patrios duce te, patriasque reuisere terras,
Sicut ego hei misero patrio qui limine pulsus
Eridani ad ripam Danaæ seruire puellæ
Cogor & externæ iubeor parere magistræ,
Quando erit illa dies qua te pulcherrima diuum
Ocinari ad ripas uenerer, temploque uetusto
Grata ferant reditu pro nostro dona parentes.
Aegrorum numerus languentia corpora strati,
Queis ingrata dies & nox est cincta tenebris,
Vt possint robur, primasque resumere uires,
Intendunt ad te uoces, & carmina pangunt.
Quicunque offendit superos, & crimine uitam
Polluit, ut niuea nequeat se ostendere fronte
Conspectu in magno diuum, uultuque sereno,
Ad te se uertit primùm, te Dia precatur,

Vt ueuiam exores, irata & numina places.
Pro natis pater & mater, pro coniuge coniux,
Germani pro germanis pro luce parentum
Natorum numerus grata est cui uita parentum,
Intendunt ad te uoces & carmina pangunt.
Quæcunq. exoptẽt homines, quæcunq. morẽtur
In terris, ad te ueniunt, te Dia precantur
Vt per te possint uotis optata potiri.
O Regina Orbis, diuum genus, heroina,
Spes secura hominum, ueluti mortalia corda
Ad te se uertunt, tua sancta & numina poscunt
Suppliciter, sic tu uirgo sata gente deorum
Auxilium miseris cælo demitte sereno,
Nec spes fallat eos, nec spes frustretur hiantes,
Nec patere ut subito mors in me spicula torquens
Exoneret cornu, te deposcente Deorum
Et pater & rex felices ascendere sedes
Imperet, æternasque domos habitare piorum.

Ad Spiritum Custodem.

ORna aram laurique comis, mirtoq. uirenti,
Atq. accẽde faces, floresq. insperge recẽtes
Per tectum, da thura igni redolentia, fumos
Effice odoratos, meritasque effundere laudes
Nec cessa astrorum Regi, superumque parenti.

Pectore quem placido, supplexque in uota uocabis,
Post uero aligerum puerum sic uoce precare,
Assidue qui te per terras atque per undas
Defendit, laterique assistit noctibus atris,
Aeraque illustrat claro dum lumine Phœbus,
Fide uigil, sine quo paruo mihi parua foret uis
Viribus, insidijsque hostis contendere, uires
Nunc mihi suppedita, nunc præbe uocibus aures
Scire uelim placeat ne Deo uel fata retractent
Quod uotis opto, secreta & mente uoluto,
Si te perpetuo colui, si numen amaui,
Et celebrare tuos cupij si semper honores,
Nunc mihi redde Ioue͂ placidum, per te ille petentis
In mentem sese insinuet, monstretque futura,
Illustrans animi mentem pectusque serenans,
O mihi detraheres hebetantem lumina nubem,
Quæ prohibet uultus hominem spectare serenos,
Nec te subtraheres facie, nec lumine nostro
Insignes radijs oculos, rutilantiaque ora,
Si faciem mihi monstrares ardentiaque ora,
Nequaquam gelidæ formidinis aura moueret,
Qualem sæpe solet cæli de limite pulsus
Inijcere humanis animis, licet artibus ille
Egregium accipiat uultum egregiamque figuram,
Nec formidarem flammas, nec fulmina cœli,
Vt Bacchi de matre ferunt qui uana sequuntur.

Sed

Sed mihi lætitia mentem & dulcedine mira
Impleres, animum diuina & luce rigares.
Ipse magis cæca purgas caligine mentem
Quàm sol obscuras purgat caligine terras.
Tu bonus es felixque tuis, tu nubila pellis
Ex animo, nostros clypeo tu protegis artus,
Conciliasque Ioui mortalia pectora, tellus
Te colit & pelagus, cælumque & sidera, & ignes
Qui sæpe arcanos mirantur ab æthere lapsus.
Magna quidē alipotēs iuuenis te munera posco,
Sed te de cælo demissum astrisque memento
Qui nostras tueare uias, nullumque laborem
Effugias, nostra pro libertate tuenda.
Scis etiam hoc multos donum mortalibus olim
Concessisse deos, nec te renuisse putandum est.
Et pater ipse deum uirgo quem candida nobis
Post mensem nouies lapsum peperitque deditque
Innumeros monuit duros euadere casus,
Mortales, tanto nec dedignatus honore est.
Vt qui turbauit pulchro de uertice Olympi,
Qui patri æterno seruilia bella parauit,
Miscere & toto tentauit prælia cælo
Vtque acri aligero tenues mandata per auras
Qui tulit ætheriæ diuæ, quod numinis aura
Igniferi, unigenam prolem esset conceptura,
Et cæli & terræ regis latique profundi,

Dicimus egregias laudes cantamus & hymnos,
Sic tibi iucundas laudes dicemus & hymnos.

Diuina Monitio.

VOce implorassem magni cũ numen Olympi
Supremũ, a summo cælo me exaudiit, & me
Rebus in afflictis donis melioribus auxit
Atque spei, & fidei, nec non cælestis amoris.
Quæ uirtus tantum reliquas supereminet omnes,
Quantum aliis aurum præstat uirtute metallis,
Resque immortalis quantum mortalia uincit.
Meque etiam monuit, licet irascaris, & ignem
Concipias, tamen hunc compescas pectore forti,
Dedecoret ne te turpi uel crimine, uel te
Infami multet leto, extinguatque furentem.
Desere res uanas, non uera & desere dicta.
Et dicti tecum & tacito cum corde uoluti
Pœniteat sceleris, delectet iustitiamque
Exercere meam, lætanti ut pectore uiuas
Atque animo excelso, furiasq. et tartara temnas.
Nonnulli multoque oleo multoque lyæo
Et fruge undantes, illis confidere gaudent.
Tu uero humanis rebus uanisque relictis,
Pollicitis summi dictis & fide tonantis,
Quod te donabit cælo, donabit & astris,

Vt te donauit iucundo lumine uitæ.

De Natali nocte Christi.

NOx hominũ atq. deũ cũctis uenerãda cateruis
Qua Patris æterni uirtus & gloria summa
Virginis ex aluo nata est mortalibus ægris,
Nubila cuncta fugans, radiis & cuncta serenans
Iam redit, ò dulces dic mecum tibia cantus.
Lupiades Nymphæ (quando sibi talia tempus
Munera deposcat) sit fas euoluere carmen
Quod deceat noctem, & tãto sit tempore dignum.
Aethereus genitor spectãs quod lumine regni
Aetherei nato, deberent agmina diuum
Promere dulcisonas uoces, & promere cantus
Nanque homo cælestesque foros, sedesque uacantes
Impleturus erat, splendentisque agminis esset
Prosperitas augenda, nouoque ornandus honore
Ipse polo, innumera diuum comitante caterua,
Aligerum misit iuuenem, qui gaudia terris
Nunciet, & cœlo demissum lumen ab alto,
Quod soluat miseras atra caligine terras,
Qui celerans magni præcepta implere parentis,
Pastorum numero qui nondum lumina somno
Tradiderant, nec dum recreabant membra sopore,
Hac nocte apparet, hac est & uoce locutus,

Pastores ouium domino gens nota supremo,
Ipse alto ueniens cælo noua gaudia uobis
Nuntio,iam uobis datus est,iamque æditus aluo est
Virginea,iratum patrem qui læniet ,astra
Pandet,& infernas claudet (sæua hostia)portas
Concedetque domos pulchras habitare piorum.
Promite dulcisonos pastores promite cantus,
Dicite io domino,domino ter dicite nato,
Atque illum uobis promissum uatibus olim
Visite,muneribusque pijs ornate merentem,
Ite alacres,tenui uelatum tegmine membra
Stramineque in uili positum cernetis in antro.
Talia fatus erat,subito tum maxima turba
Militiæ cælestis adest,cantusque profudit,
Gloria in ardentis cæli regionibus aureis
Cælicolum magno regi,pax aurea terris
Pectoribus iustis mortaliaque ora reliquit.
Hec ubi pastores ceperunt,protinus antrum
Et sobolem regis statuerunt quærere cæli,
Atque iter emensi,numerosq.hymnosque canẽtes,
Frondibus & uarijs postes & floribus ornant
Atque introgressi uenerandum numen adorant,
Hunc postquã peperit diuũ pulcherima mater
Tergemini longe reges oriente relicto
Queis ratio & magni monstrarant sidera mundi
Esse satum Cæli regem terræque marisque

Ostendente uias cæli sibi lumine rectas
Præsepe adueniunt, prostrato & corpore adorant
Hunc regem insignem. cui munera diuitis auri
Et myrrhæ lacrimas & thurea dona tulerunt
Tu uero Solymes confidentissime regum,
Debueras primum qui te prosternere, & ipsum
Muneribus multis donare, & ferre coronas,
Indigne obtruncas puerum tot millia ferro
Vt posses sæuo puerum deperdere ferro
Qui non solū homines mortali haud priuat honore,
Sed generi humano culmen conscendere donat
Aethereum, astriferasq. domos et gemmea tecta.
Veridici uates, afflati numine uates
Hunc mihi promittunt uenturum, hic ore leonis
Eripit, & pecudes tot passas uulnera sanat.
Nec refugit pro ouibus; ueluti qui diligat ipsum
Cognoscatque pecus; crudelem occumbere mortem.
Vera patris summi soboles, quem qui regit omnia
Pontificemque dedit nobis regemque deumque
Verus homo, uerusque deus, cui maxima cordi
Iustitia, & pietas & mens cupidissima recti.
Mortales summo stellarum carmina regi
Cantate, & noctem felicem hanc tollitte cantu.
Hæc etenim infernas tenebras, Erebumq. ducēq.
Terruit, & noctis fratres Erebique sorores.
At mites animas referandum quæ sibi cælum

Sperabant, multo donauit robore mentis,
Laetitia & caelum terrasque impleuit & undas
Vt populum Phariis quondam Mosaeus ab oris
Eduxit Solymum, duxitque ad tuta locorum.
Sic ille eduxit mites de faucibus orci,
Securosque hostis tranquillo induxit Olympo.
Cuius ego ad numen conuertam lumina mentis
Et magnum orabo rebus succurrat egenis.
O, patris aeterni splendor quem pectore laeto
Caelestes spectant animae laudantque, canuntque:
Et mille erumnis & tempestatibus actus,
Ad te confugio, prohibe me perdere gentes
Hostiles, nec te moueant mea crimina, felix
Aspice me, laetusque tuam mihi porrige dextram
Vtere sancte pater solita pietate, tuosque
Defende, atque dolos hostis de limine pellas.
Disperde insensum caetum qui nocte dieque
Imminet in nostras animas & gaudia nostra.
Diua parens etiam quae uirgo hac nocte uerenda
Te peperit, duros hominum miserata labores,
Conciliet placidis semper tua numina uerbis.

De gaudijs beatae Virginis.

VT superum decus, & caeli regina supremi
Laetitiam infundat menti, laudesq. tonantis

Pangere læto animo concedat, carmine dicam
Gaudia Reginæ ſuperis quæ præſidet oris,
Pectore quam læto uenerabor, mente humilique,
Dum cælos uoluent animæ, dum ſidera lucem
Præbebunt, poſt & perdent quã lumina, & acres
Abſument ignes cæli ornamenta ſereni.
Haud me adeo fallit, quod qui uelit illius omnes
Dicere lætitias, citius queat æquoris undas
Oceani, & ſtellas numero comprendere cæli.
Nos tamen e tanto numero ſeptem illa canemus,
Sanctorum quæ quotidie uerſantur in ore.
Illa quidem uolucri puero dilapſus ab aureis
Qui fuerat regnis, natum ſe regis Olympi
Accepit concepturam, mundoque daturam,
Sanctasque impletur nato ingrediente per aures,
Poſt menſem & nouies lapſum candore manente,
Incolumique pudicitia, peperitque deditque
Vnigenam terris prolem Iouis exoptatam.
Quã pia dũ genitrix infantem lactat in antro,
Tergemini longe reges oriente relicto
Queis ratio & magni monſtrarant Sidera mundi
Eſſe ſatum cæli regem tarræque mariſque,
Muneribus ſecum conuectis in ſpeluncam
Perueniunt lætis animis, regemque uerendum
Et cæli & terræ proiecto corpore adorant.
Biſſenóſque puer cum nondum excederet annos,

Et pater & genitrix populosa ex urbe redirent,
Credentes sua pone sequi uestigia turbæ
Immixtũ, immemores numerosa in plebe relinquũt
Quare illum foris atque intus, non abque dolore
Quæsiuere diu Phœbi sed lumine quarto,
Lectorum in medio patrum nouitate pauentum
Inueniunt puerum mira atque indicta canentem,
Qui postquã humano passus pro semine mortẽ est,
Et nigras uictor sedes spoliauit Auerni,
Terruit & diras animas tormenta minatus
Aeterna, ad superos rediit, & ueste recepta
Humana, se se monstrauit, & immortalem,
Maiorem & radiis, maiorem & lumine terris,
Dein populis circumfusis spectantibus ipsum,
Ventorum nullo, nullisque iuuantibus alis,
Exuperans nubes, ignemque & sidera & ipsos
Aethereos tractus, & cæli immobilis orbem,
Ad patrem rediit, uenerato & numine, sceptrum
Accepit patrij regni terræque marisque.
Post autem diæ quam spiritus ossa reliquit,
Et penetrat cælum descendunt numina, & almũ
Accipiunt corpus, portantque insignibus oris,
Dicentes diuæ laudes, atque inclyta facta.
Quod pater æternus multo dignatus honore
Vincere cui Solem radiis & uincere odore
Annuerat Cilicesque, & odoriferos Nabathæos,

Informat felici anima, capitique coronam
Insignem stellis imponit, & effulgenti
Collocat in solio, demum denunciat urbis
Reginam ætheriæ, superum quam numina diuum
Reginam appellant, uenerantur & ut genitricem
Cælicolum regis, cuncta hec o regia uirgo
Lætitiæ argumenta tuæ sunt certa, precamur
Affice lætitia pueros, solare & alumnos,
Qui posuere tuo spem firmam in numine sancto.

De morte Christi Domini Questus,

Dicamus iuuenum questus, & sancta pioru
De cruce deposito Christo quæ dicta dederut.
Et primum Ionathæ questus, & dicta canamus.
Qui talem ob mortem lacrimarum flumine uultum
Sparserat ingenti, & gemitus effuderat altos.
Sancte pater licet inuidiam non moueris ullam
Pauperie, Atque humili uita, et sermone modesto,
Mirificis actis tamen, & sermone superbas
Increpitante animas, stygiasque minante paludes
Inuidia es magna atque odiis affectus iniquis,
Propereaque tuo gens dudum infensa parenti,
Te ligno infami & leto multauit acerbo,
Scilicet immites animæ iustumque piumque
Odere, atque uolunt a nemine castigari;

Nec sufferre queunt quod quisquam numine solo
Efficiat, multis nequeunt quod uiribus ipsi.
Ecquis sæuorum potuisset ferre uirorum,
Auxilio sine mortali te redere lucem
Defectis oculis, aut captis auribus haustum?
Morte tua afficitur magno mens ægra dolore
Hoc tamen ipse tuam solabor carmine mortem
Imperio magni patris occidis, & tua sponte
Funera obis, letoque tuo nos eripis orco.
Et scelerum fluctus cessant, rapidæque procellæ
Haud alias unquam positura murmura & iras
Quippe uelut nunquam cessasset gurgite ab imo
Tempestas commota, esset nisi mersus in æquor
Fatidicus uates pulchro conuertere Olympo
Barbaricas missus gentes atque impia regna.
Sic humanorum tempestas peccatorum
Cessasset nunquam, nisi uitæ o maxime ductor
Mortiferas solyme te proiecisset in undas.
Quis tibi nunc hostis cernenti talia sensus.
Quos fremitus ædis? cum late uincula rumpi,
Prospicis, & sceptrum cernis te ammittere inane.
Infringique tuas uires, fraudesque dolosque.
Nunc uero argobii iuuenis lamenta Canamus,
Qui multos etiam gemitus effuderat imo
Pectore, & aërias questu Compleuerat auras.
O lux terrarum, spes o fidißima mundi.

Quas nunc illustras diuino lumine gentes?
Insuetam spargis lucem quibus orbis in oris?
Quid te post tantos casus, plagasque cruentas.
Dispersosque tuos comites, sociosque fugatos,
Sic mœsti aspicimus, quæ causa indigna serenos
Mutauit uultus, aut cur hec uulnera cerno?
Ipse nihil, nec mi quærenti talia quicquam
Respondes, sed te citius quam tertia surgat
Aurora Oceano rediisse in luminis oras
Accipiam, multis, & te monstrasse tuorum,
Ipsorum & pulcris implesse hortatibus aures,
Quanta feres auidis genitor solatia terris,
Gaudia quanta dabis, cum uicto ex oste redibis
Teque triumphantem cernet plaga lucida cœli,
Et manes seruasse pios ex nocte profunda,
Quas nunc lætificas diuino lumine mentes,
Respondens uatum dictis uotisque piorum,
Qui te olim casto cecinerunt corde sub imas
Descensurum umbras, uiuisque imperuia regna.
Et nunc lætantur uerum sparsisse per oras,
Teque salutiferum terris cecinisse futurum,
Felicesque locos uocitant quo ueneris ipse,
Laudibus omnigenis teque usque ad sidera tollunt,
Victoremque canant euersoremque ferarum,
Tu citius surges, celi uesceris & aura,
Acceptis primis membris & corpore primo,

Vt nos iustifices cælo terraque marique,
Et nos ipsi etiam possimus surgere tecum,
Induti primos artus, & corpora prima,
Nam nisi tu primum surgas pater optime, nunquã
Surgere speramus nos posse in luminis oras.

De die festo.

FEsta dies properat multo celebranda tonanti
Ardore, & cantu carminibusque nouis.
Qua decet & puros homines se ostendere mente,
Peccatis humiles & doluisse suis.
Quare oculi fundant lacrimas et pectora questus,
Vt questu & lacrimis crimina fæda laues.
Felices lacrimas propter peccata profusas,
Felices lacrimis quæ maduere genas.
Illæ animi poterunt cunctas abstergere labes,
Atque tibi offensos conciliare deos.
Authorique suo parient solatia centum,
Et cælo & terris gaudia mille ferent.
Inde Dei egregium supplex affare ministrum,
Et posce ut donet crimina fæda tibi.
Qui cunctas poterit labes abstergere mentis,
Admissum & uiuo fonte lauare nefas.
Atque animo ultrices poterit depellere curas,
Candori & primo restituisse tuo.

Cumque dies ueniet, lætanti pectore adibis
Atque animo excelso templa beata Iouis.
Illic diuinos extolle ad sidera cantus,
Et cane cœlicolum carmina multa Deo.
Cuntemplare etiam summi benefacta parentis,
Diuinas facies, sidereasque domos.

Ad Macrum.

CHare Macer, cui mẽs magno seruire tonãti,
Noscere & æterni iussa uerenda Dei.
Illius ut possis altam cognoscere mentem,
Atque agere in summis sæcula delitiis,
Mosæi euoluas diuina uolumina, terris
Quatuor & sanctis scripta relicta uiris,
Non obscura sonant illorum scripta uirorum,
Effulgent medio splendidiora die.
Illa docent domini leges, sanctumque timorem,
Iudicia & mentem. iustitiamque Dei,
Lex Iouis æterni gressus ostendit Olympo,
Perque uias rectas ire redire docet.
Illa ignorantum præceptis pectora fingit,
Est hominum cunctis & medicina malis.
Et lætas reddit mentes, & lumine claro
Illustrat, totum pectus & exhylarat,
Formidare Deum docet & pia numina amare,

Atque animum domini subdere seruitijs.
Vt nos irato clypeus defendit ab hoste,
Qui tentet morti nos dare uulneribus.
Sic Iouis æterni lex turpi a crimine seruat,
Et nostras prohibet commaculare manus.
Qui timet astrorum regem, cælique sereni,
Ille beatus erit terque quaterque mihi.
Iudicia illius mira dulcedine uincunt
Hyblæum nectar Mopsopiosque fauos,
Præponenda auro uoluit quod Lydius amnis
Et gemmis Rubri quas lauat unda maris.
Sancte pater, cuius leges dant cernere uerum,
Peccatisque pias abstinuisse manus.
Ingeniis quoniam delicta haud omnia nostris,
Nec cunctas labes cernere posse datur,
Nulla mihi adscribas peccata latentia, nunquam
Castiges, quod non talibus indolui.
Si praui haud nostro regnent in pectore sensus,
Omnibus in rebus me sine labe geram,
Vt sine labe geram cunctis me in reb us agendis,
Extingue hostilis prælia sæua manus.
Sic oris nostri semper tibi uerba placebunt,
Atque ea que uoluam pectore cum tacito.

Postquã primus homo primo deceptus ab hoste
Decerpsit fœtus arbore ab auricoma
Iupiter & lætis homines eiecit ab oris,
Et misero eiectos punijt exilio.
Non erat æterni posset qui numina regis
Atque homini offensos conciliare Deos,
Non erat, & mulier precibus qui flectere posset
Aeterni sobolem numinis unigenam.
At genitus miseris conuertens lumina terris,
Induit e pura Virgine membra hominis,
Subiicere & uoluit se humanis mille periclis,
Atque famem atque sitim pauperiẽque pati.
Morte sua tandem placauit numina patris
Irati, & cunctorum agmina cælicolum.
Et generi humano clausum patefecit Olympum,
Oraque tartarei clausit aperta lacus.
Nec contentus eo, matrem mortalibus ægris
Placare ipsius numina magna iubet.
Illa igitur cæli regem dominumque precatur,
Vt nos in terris & tueatur aquis.
Ostendatque uia recta contendere, & omnes
Insidias Stygii det superare ducis.
Officio illius soboles æterna tonantis
Temnere dat Stygios terribilesque lacus.

Illuſtratque hominum diuino lumine mentes,
Regnaque felicis donat habere poli.
Rex ſuperum qui te uoluiſti in uirginis aula
Claudere,& ex illa ſumere membra hominis
Da mihi uirgineas lætanti pectore laudes
Dicere,me monitis & regat illa ſuis.

Ad Mortales.

TErigenæ claſſes manuũ monumẽta magiſtri,
Et regis dilectæ omnipotentis oues.
Qui cererem uobis multo ſudore paratis,
Duram ut poßitis pellere uentrè famem.
Qui conſueuiſtis pro rebus inanibus,atque
Terrarum ante diem membra leuare thoro.
Cur pro cæleſti regno & felicibus oris
Abnuitis placido membra leuare thoro?
Non hic perpetuæ ſedes,manſuraque regna,
Sed ſunt in ſuperis illa beata locis
Eia illas igitur uires contendite ad oras
Quærendum,& ſuperas;templa beata:domos.
Sunt ubi delitiæ perituræ tempore nullo,
Lætitia & nullo deperitura die.
Nec uos pœniteat duros ſubiiſſe labores,
Cæleſti ut uobis detur i n urbe locus.
Sudore ingenti terræ qui ſemina mandant,

Lætitia pleni falce metent segetes.
Bisseni heroes fusis sudoribus ibant
Terrigenas magni iussa docere Iouis.
At postquam terras orbem liquere uolentes,
Accepere illos aurea templa deum.
Illic iucunda cæli regione fruuntur,
Susceptique olim dona laboris habent.

De Memoria diuinorum beneficiorum.

SVccurit quoties quod nos e faucibus orci
Eripuit ueri dextera magna Iouis,
Exilium patris antiqui solamur amarum,
Nostraque lætitia plenius ora sonant,
Atque dei canimus pietatem, iustitiamque,
Per platæas omnes per fora perque domos.
Et uictos angues læti cantamus auernos,
Et uictas furias tartareumque ducem.
Posteritas etiam cuncta hec modulabitur, olim
Maiores in sancta ut cecinere domo.
Sancte pater qui cælestes mulcere procellas
Et placare potes murmura sæua maris.
Seda animos hominum Christi qui signa sequũtur,
Ne patere ut uincat pectora nostra furor.
O furor o hominum corruptor & impia labes,
Quid mihi perpetuo tot fera bella moues?

Num poterit melior ratio contendere tecum,
Nunquid succumbens impia terga dabis?
Succumbes reor, & fugies hinc, quare ego uictor
Aeterno ponam læta trophea Ioui,
Qui genus humanum componat pace quieta,
Et fuget a nostris bella nefanda locis.

Ad Seipsum.

ECce pater diuum placidas tibi præbuit aures
Audit a regnis & tua uerba suis.
Insensasque tibi tribuit contemnere turmas,
Eripuitque altis fluctibus & pelago,
Extollas cæli duplices ad sidera palmas,
Et celebres cantu numina magna Dei.
Nec tibi deficiat spes ullo in tempore uitæ,
Seruabit cunctis te bonus ille malis.
Iniustum uideas licet usque ad sidera tolli,
Ditarique agris & pecore innumero.
Impia ne laudes animarum facta nocentum,
Nec cœli incuses sidera, nec superos.
Demessa arescent feruore ut gramina Solis,
Qui rapidus terras excoquat & maria.
Alme hominũ princeps quoties tua numina posco,
Exaudi poscentem a regione poli,
Perde tuos hostes, Stygios & perde colubros,

Eripe & a dira pectora nostra manu.
Sponte ego cæliferi patris benefacta fatebor,
Et pulchrum domini nomen ad astra feram.
Cantemus Christo mortales carmina & hymnos,
Qui generi humano præsidet, atque deis
Sanguine qui proprio nobis patefecit Olympum,
Nostraque dulcifluis uulnera lauit aquis.
Et pietate sua proprio nos corpore pascit,
Atque suo expellit sanguine ab ore sitim.

FINIS.

